



tineat a iudicando, vel (cf. §. XVI. fs) accommodate ad naturam quæstionis *historicæ* <sup>97)</sup> dispiciat, quid igitur *in factō positum* fit, an ii, de quorum doctrina existit quæstio, re vera testimonium dixerint de singulari quadam, cuius sibi liquido consciī fuerint <sup>98)</sup>, efficiētia Dei in ipsorum animis, an huius sensus, qui, cum internus paucorumque proprius fuisse dicatur, non potuit cum aliis communicari, fidem certe fecerint eventa, quæ aliorum sensibus percepta fuissent, an igitur certa sint testimonia, quæ horum eventuum confirmandorum causa sumantur, an divini illi legati hoc re vera ipsum dixerint, quod ipsis tribuatur eorumque auctoritate pro vero habeatur. Ex quibus sequitur, ut, si qui habeant, quod in argumentatione historica desiderent, ii suo jure contradicant, si quis autem, profectus a *Kantio*, repugnet *propterea*, quod ejusmodi doctrina sacrarum literarum *nullo principiorum rationis, sibi relicta, consensu firmetur*, is secum ipse pugnet. Quibus enim *hæc causa* justa videtur ad *rejiciendam* aliquam doctrinam, ii, quæ ex rationis suæ principiis ducere ac probare nequeunt <sup>99)</sup>, haud relinquunt in medio (cf. §. VI), sed continuo *negari* posse sumunt, quod tamen nefas esse concedunt (§. V).

#### §. VIII.

Sed videamus *primo*, num iis, quibus christiana doctrina innotuit, justa sit causa, cur *ab universa*, quam diximus (§. VII),

---

97) v. *Kantium* l. l. p. 153. f. 234. f. 139. fs. 149. 183. f.

98) v. *Comp. dogm.* §. 7. a). §. 36. c). p. 128.

99) v. *Kantium* l. l. p. 233. 139. 220. 235.